[illegible] … ph(i)losofy exponit rat(ionem).

[illegible]

[illegible]

… nullus degener extat

Ni uitiis peiora fouens proprium deserat ortum.

[illegible] uoluptatis [illegible]

Quid autem de corporis uoluptatibus loquar quarum appetentia quidem plena est anxietatis
satietas uero penitentiae. Quantos illae (morbos) quam intollerabiles dolores quasi quendam fru-
ctum nequitiae fruentium solent referre corporibus. Quarum motus quid habeat iocundi-
tatis ignoro. Tristes uero esse uoluptatum exitus quisquis reminisci libidinum
suarum uolet intelleget. Quae si beatos explicare possunt nihil est
causae quin pecudes quoque beatae esse dicantur. quarum omnis ad explendam cor-
poralem lacunam festinat intentio. Honestissima quidem coniugis foret libe-
rorumque iocunditas. sed nimis e natura dictum est nescio quem filios inuenis-
se tortorem. Quorum quam sit mordax quaecumque condicio. neque alias ex-
pertum te neque nunc anxium necesse est admonere. In quo Euripidis mei sen-
tentiam probo. qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem.

Habet hoc uoluptas omnis
Stimulis agit fruentes
Apiumque par uolantum
Ubi grata mella fudit.
Fugit et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Nihil igitur dubium est quin hae ad beatitudinem uiae deuia quaedam sint
nec perducere quemquam eo ualeant ad quod se perducturas esse promittunt.
Quantis uero implicitae malis sint breuissime demonstrabo. Quid enim.
Pecuniamne congregare conaberis. Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere
uelis. Danti supplicabis. Et qui praeire ceteros honore cupis. poscendi humi-
litate uilesces. Potentiamne desideras. Subiectorum insidiis obnoxius
periculis subiacebis. Gloriam petis. sed per aspera quaeque distractus securus esse desistis.
Uoluptariam uitam degis. Sed quis non spernat atque abiciat uilissimae
fragilissimaeque rei corporis seruum. Iam uero qui bona prae se corporis ferunt quam exi-